

Disputatio medica de phthisi, quam, ... / sub praesidio ... Joh. Alberti Sebizii, ... solenni examini submittit Johannes Avvenius.

Contributors

Awen, Johann.
Sebisch, Johann Albert, 1614-1685.
Université de Strasbourg.

Publication/Creation

Argentinae : Literis Georgii Andreae Dolhopffii, imprimebat Johannes Schultz,
Anno M. DC. LXV. [1665]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/gpxp46r6>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO MEDICA

De

PHTHISI,

Quam,

ANNUENTE ARCHIATRO

COELESTI,

In Inclyta Argentoratensium Vniversitate,

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Nobilissimi, Amplissimi & Excellentissimi

DN. JOH. ALBERTI SEBIZII,

MED. DOCT. ET PROFESSORIS

ORDINARII,

Patroni, Præceptoris ac Promotoris sui


omni honoris ac observantiæ cultu æta-
tè devenerandi,

Solenni examini submittit

JOHANNES AVVENIUS,

Soldinô Marchicus.

Ad d. 22. Septembr. horis & locò consuetis.



ARGENTINAE

Literis GEORGII ANDREÆ DOLHOPFFII,

Imprimebat JOHANNES Schick.

ANNO M. DC. LXV.



Hipp. de arte: sub medium.

ΩΝ ἔστιν ἡμῖν τοῖσί τε τῶν φύσεων, τοῖσί τε τῶν τεχνέων ὀργάνοις ὁπικρατέειν, τέτων ἔστιν ἡμῖν διμικροῖς εἶναι ἄλλων δὲ ἔκ ἑστιν. Ὅταν ἔν τι πάθῃ ἄνθρωπος κακόν, ὃ κρέσσον ἔστι τῶν ἐν τῇ ἰηλεκῇ ὀργάνων, ἔδὲ προσδοκᾷ δὲ ὑπὸ ἰηλεκῆς κρατηθῆναι ἄν.

THESIS I.

PHTHISIS ἄπὸ τῆς φθείειν (quod idem est ac φθεῖν) vel φθίνειν, eò quòd parte corporis nobili corruptâ, & principe quâdam labefactatâ, non possit, quin & integrum simul corrumpatur, consumatur, deficiat & contabescat, dictum, Atheniensibus etiam

a & ipsi Galeno b φθόν sonat. Aliis ἰνᾶσμα audit, & φθινᾶς νόσος, item c à suppurando: Latinis Tabes, Aridura d, Syderatio e: Germanis nonnullis die Dörre/ Dörr: Lungen oder Schwindsucht.

2. Impropiè & ἀναλόγως nox quæ præterit φθινᾶν, & dies ob Solis φθινᾶσμα [occasum] recedens, & mensis desinens, & Luna decrescens, φθίνειν dicuntur. Quod & Latinorum Tabescere ita æmulatur: qui præterea vocem Tabis etiam ad domorum & urbium perniciēs & exitia, sal & nivem liquecentia, mentem curis confectam, arbores & herbas arescentes &c. transferunt. Vernaculâ nostrâ in crumenam deficientem (sacculum Catulli) facetè ita jocamur: der Beutel hat die Schwindsucht.

3. Generaliter dein vocabulum phthiseos sumtum quamvis consumptionem, quacunque de causa & occasione ortam (quin imò & ipsam quandoq; promptitudinem & proclivitatem ad illam) f. Gal. 1. epid. denotat: quæ vel universalis est totius corporis; vel particularis unius

a. Gal. comm. 7.

aph. 16. & l. de

san. tuend. c. 9.

b. comm. 3. aph.

10.

c. Aret. 1. de

caus. & sign.

diuturn. c. 8.

d. Paracels.

e. Holler.

f. Gal. 1. epid.

sect. 1. comm. 18.

saltem alteriusve membri: *Specialiter* pulmonis ulcus consequentem maciem significat.

4. Ad *Universalem* referuntur *Σύντηξις* colliquatio in febribus hecticis & ardentibus. *Μαρομαρία* marcor & ariditas corporis tam p. n. seu morbosus, quam s. n. & sanorum, specialiori aliàs nomine λεπτότης insignitus. *Tabes Dorsalis*, quam *Divinus senex* g. νεογάμοις præcipuè καὶ φιλολόγοις i. e. noviter uxoratis ac salacioribus; & *Renalis h*, quam labore se nimio perè frangentibus contingere dicit. *Coxaria*: cujus ideam singulariter proponit idem i. *Celsi* & *Cnidios* secuti Medicos Ἀρθρία & Καχεξία: quanquam posterius nimis ferè generaliter. *Contabescencia à vermibus dorsi* l in infantibus circa dorsum præcipuè in cute generatis, quos *Nostrates* *Miteffer* oder *Zehewürme* / quod alimentum infantium absumant, nominant: Nonnulli *Crinones* eos appellant; alii *Dracunculos*, ob similitudinem cum dracunculis, qui *Ægyptiis* & *Indis* sunt familiares, & in corporis partibus musculosis lumbricorum formâ sese exerunt. *Quamq̃* præterea *Cl. Senn. m* puerulos lactis, quod sugunt, vitiò infestare, atque à lumbricis (seu vermiculò illò, cujus privatim & notanter peritiss. *Zacutus Lus. n* recordatur) in intestinis stabulantibus; imò & fascinò interdum, incantatione ac veneficiis iis o induci docet. *Macies ex Xyphoidis Cartilaginis procidentia* seu depressione p. *Lue Venereâ q.*, *Diabete*, *Lienteriâ*, & omnibus immodicis ac enormibus corporis vacuationibus, sponte vel arte factis, profectâ. *Item* & quæ observatur in morbis chronicis, diuturno mœore, luctu, curis gravibus, vigiliis jugibus, indefinentibus literarum studiis, inedia, victu ὀλιγοβότῳ aut κακοχόμῳ &c.
5. Huc etiam trahenda *Gracilitas illa*, (de qua, *Zacutus r* :) ex aspera arteria ulcere diuturniore, cum tussicula quadam & febre, orta ex prohibita cordis ventilatione, propter istius ulceris diuturnitatem, incolumi tamen pulmone. Quæ potius spuria & illegitima phthiseostitulò digna est, tum quia huic obnoxii, non aliter quam phthisici tractantur, tum quia non assequitur Medicus, ad quam aliam huiusmodi dispositionem referat. Et talis notha contingere quoque potest ex parte cause, cum nim. in thoracis cavitatem prolapsæ destillationes intra dies 20 s in verum pus, propriæ & exquisi-

quisitæ Tabis causam, verti impediuntur, aut ex plevritidoe empyi facti intra 40 dies s repurgantur.

s 3. aph. 19.

6. *Particularis* est in pupilla *t*, femore *u*, partibus atrophîâ *t* Gal. 10. de uss
v, paralyfi vel paraplexiâ læsis. Et nullum ferè datur in corpore *part. c. 5.*
membrum, quod geniô suo defraudatum, proboque & convenien- *u 6. aph. ult.*
ti alimentô destitutum, vel intemperie aliquâ affectum in similem *v Gal. de morb.*
extenuationem incidere non possit. Quin & Cor, autore *Plinio x;* *x Barthol. Ana-*
& ipsi pulmones seorsum intellecti, hoc ab affectu non immunes, *tom. p. m. 232.*
in aurifabris præcipuè, chymicis ac qui circa metalla occupantur,
imminuti sæpenuerò, & fumô veluti exiccati conspiciuntur *y.*

y Senn. l. 2. par. 9.

1. c. 2. præf.

7. *In specie* tandem, κατ' ἐξοχήν, & ut obtinuit usus apud
Medicos, frequentissimè vera, propria, legitima, exquisita & nu-
meris omnibus absoluta *Phthisis est extenuatio totius corporis, quam febris*
putrida, continua, lenta, & tandem etiam interdum hectica, ab ulcere pulmo-
num orta inducit.

8. *Generis loco* ἰσχυρότης & extenuationem seu maciem p.n. (ad differ.
n.) ponimus: quia totum exhaurit Definitum, estq; affectus, & quasi
effectus, qui in scala morbi ætiologica ultimò superest, & qui princi-
palem indicationem ultimò ad se rapit. *Differentia* partes agunt reli-
qua *Definitionis verba*, ut quæ præsentis Affectus verum & adæqua-
tum aperiunt primò *Subjectum*, nim. totum corpus, quô modô à pri-
vatâ quarundam partium extenuatione discernitur: Deinde *Cau-*
sas, seqq. lineis ex penitiore aliquantùm altiùs enucleandas. Etenim
omnia morborum genera hic confluunt, (notatu dignum!) tres ca-
taphracti & validissimi hostes, qui ad naturam debellandam, quâ
illorum unus facilè superior est, feliciter sibi invicem aditum mu-
niant, manus porrigunt, & concinnè catenatâ serie mœnia devicta
subeunt.

2 Gal. comm. 7.

aph. 16.

9. *Contabescientia phthisica* proxima & immediatâ CAUSA
est *Nutritionis frustratio* in toto corporis habitu, i. e. partibus, quæ
intuentibus primæ obijciuntur *a;* genere nim. musculofo, ossa cin- *a Gal. mixto*
gente partesque internas obtegente, minimè exclusis interioribus: *tex. c. 50*
Cum vel ob virtutis naturalis imbecillitatem, vel alimenti quanti-
tate aut qualitate peccantis vitium coctio illa privata, tertia appel-
lata, quæ in singulis perficitur membris, aboletur: quoad sensum

scilicet, quô dijudicamus, partes non nutriri, quas indies tâbescere videmus, quamvis reverà alantur. Nam aliàs non viverent. Sed alimentum adeò parvum est, ut sensum lateat.

10. *Atrophiam* determinatè producit *Febris*, quæ calore suo p. n. in corde accenso, mediantibusque spiritibus & sanguine per venas & arterias in totum corpus effuso, naturam labefactat, concoctionem alimenti impedit, id quod concoctum & appositum est absumit, tandemque ipsam corporis substantiam triplicem depascitur.

11. *Febris* autem illa ortum habet à *purulenti inquinamenti collyie*, quæ in *ulcerosis pulmonibus generatur*. Halitus namque putridi ac putidi cordi per venam arteriosam & arteriam venosam communicantur. (Hæc enim vasa à corde prodeunt, & in pulmones inferuntur.) A vaporibus illis cor accenditur, accensumque non potest, quin ejusmodi calidam intemperiem in reliquum inducat corpus. Nam cum aliàs etiam à longiùs dissitis partibus *μίασμα* tale purulentum cordi communicatum febrem producere aptum natum sit: huic verò pulmones cordi instar substerniculi & culcitrae b, cui molliter incubet, sint suppositi, idque undiquaque semper amplexentur, tantoque nunc & tam foetido scateant pure, non potest non scaturigo illa caloris nativi, adeoque ipsius vitæ turbari, atque ita turbata in omne corpus perennè derivari.

b *Avicenn.*

c 2. *aph.* 47.

12. Breviter & solidè. Puris generatio symptomaticam seu concomitantem trahit febrem c, quia pulmonis perrosi, & sanguinis inquinati fermentatio quædam oboritur, dum videlicet vis expultrix acres noxiosque humores sanguini dilectissimo naturæ filio, vitæque nostræ thesauro permistos, à sanis partibus excernere & eliminare satagit, non potest non segregatæ postmodum materiæ *πυρρός* purisque generatio subsequi: quâ sive in fieri, sive in facto existente, calor naturalis jam ad luctam semel accensus à collecto postea pure adhuc magis magisque, sed ex accidenti, accenditur. Pus enim poros atque meatus obstruens, fuliginum eventilationem non tantum cohibet, sed & novas subinde suppeditat, perennique contagio spiritus & utrumque sanguinem inficit. Unde perennis quoque puris generatio, & hinc febris continuatio mutuas

tuas sibi tradunt operas, adeò, ut circulari quadam generatione pus
atque febris perpetuò sibi invicem occurrant. Sique ob lentum,
quò procedit, gradum, aliquando abesse in vera phthisi videatur
febris: videtur ita, non est: delitescit saltem & cessat paululum,
sed insidiosè. Id quod potissimum evenit ob mendosè curatum
ulcus *d*; cum ex intervallis sanie præ adusto calore resiccata cru-
stosum illud redditur *e*.

*d Galen. l. 4. de
loc. aff. c. 5.
e Zac. l. 2. prax.
hist. c. 10.*

13. Ex quibus sole meridianò clarius, febrem adesse, eam-
que, quoad ideam suam, *putridam, continuam, lentam*, quæ tamen pro-
gressu temporis *hectica* naturam induere possit. Principio enim
cum pulmonum exulceratio adhuc levis existat, calor item & cæte-
ra *hecticæ* signa desint, in eam tum temporis nondum degenerasse
febrim, palam est. Quin tamen degenerare queat, haud dubium
quum febrilis ille putridus & oppressus calor, postquam fluidum
absumerit pabulum, roridam humiditatem, per particularum spa-
tia diffusam, nec habeat amplius quò satietur, molem partium, seu
adiposam carnosamque substantiam, solidam undiquaque infar-
cientem necessariò aggrediens, ipsas denique partes fibrosas, qui-
bus ceu basi reliquæ innituntur, deperdat & annihilat: imò du-
riores etiam exsiccare videatur, ut tandem in homine præter cu-
tem ossibus obtensam foris nihil ferè cernatur.

*f Mercurial. de
Med. Ventr. aff.
l. 2. c. 7.*

14. Seu ut acutus Zacutus *g* eleganter loquitur: cum impu-
rum, atq; plus justo excafactum sic affectus pulmo aërem cordi impertiatur
semper, nequit, ut decet, cordis viscus eventilari; quare excandescens, & gli-
scens, necesse est, ut propriam partis humiditatem, quâ nutritur, p. n. depasca-
tur calor, & inde carnosum genus & demum solidas partes depopuletur. Hoc
ita perpetuò accidere, præter veræ *hecticæ* causas quadantenus exposi-
tas, palam faciunt in vera phthisi comparere solitæ ipsius lotij superficies olea-
gineæ, telis araneorum haud absimiles. Febriculam identidem notabis
aqualem, nisi à cibo hora una aut altera paululum invalescentem, cæteraque
verissimæ febris *hecticæ* indicia, quæ Galenus *h* retulit. Nil tamen obstare
videtur, quin cum dictis febribus aliæ etiam complicantur, vel er-
raticæ, vel tertianæ, pro humorum extra vel intra vasa contentorum
diversitate *i*.

g l. jam c.

*h l. 1. de diff.
febr. c. 10.*

*i Senn. de phthisi
in pract.*

15. Ulceris tandem (cujus subjectum hîc pulmo est, cum
omni-

omnibus suis partibus : parenchyma videlicet, seu substantia car-
nosa, cum bronchiis seu canis, vasis & membranis :) CAUSAE in-
terna proxima sunt omnis generis humores acres atq; mordaces, qui ra-
tione putredinis, & acridinis suae vel connatae, ut biliosus & serosus;
vel adscititiae & acquisite, (puta ex nimia morâ, copiâ, vel denegatâ
ventilatione) ut pituitosus & sanguineus, erodendi vi pollent. Qui-
que vel in & ex pulmonibus ipsis generantur, vel aliundè ad illos transmittun-
tur. In pulmonibus quidem, partim ob eorundem idiocraticam constitutio-
nem vitiosam, ad corruptionem & consequenter phthisin sponte suâ pro-
pensam; utpote nimiam mollitiem, flacciditatem, humiditatem
& infirmitatem, qualem nonnulli à primo ortu sibi congenitam habent:
nonnulli etiam à parentibus hereditario quasi jure k trahunt. Nam, ut
Cl. Senn. l. loqui amat, quemadmodum liberi parentibus saepe similes sunt,
quoad externa lineamenta; ita & quoad partes internas. Unde, addit, in
quibusdam familiis tanquam morbus hereditarius grassatur phthisis, nullâ et-
jam humoris ad pulmones destillatione aut transmissione accedente, ut vi-
deantur à parentibus liberi morborum perinde fieri ac possessionum hæredes. Et sicuti, qui viret in foliis, venit à radicibus humor: Sic
patrum in natos abeunt cum semine morbi. partim ob eosdem alio præter
hunc modo male affectos, cum vel intemperiem contrahunt, ob humores
peccantes in iisdem stabulantes: vel continuas eorum solvitur, la-
xatô, eroso, rupto, seu, unâ cum transfixo thorace, vulnerato vase:
Ubi extra *φύλακόν* suam constitutus sanguis grumescit, putredi-
nemque, & ex illa acrimoniam concipit. Item introrsum ruptâ
vomica, relicto ex peripnevmonia aut variolis ulcere, generatis in
parenchymate vermiculis m &c. Ab aliis partibus vicinis materia
suggeritur, utpote ab inflammata membrana, quæ thoracis cavita-
tem intrinsecus succingit, in pleuritide n; mediastino item & dia-
phragmate: larynge in angina o. Frequenter etiam ex capite ma-
teria, quæ catarrhi nomine venit, in pulmones præcipitatur, naturâ
suâ jamdum qualitatis corrosivæ.

16. Interna mediata seu antecedentes causæ sunt humores vitiosi
in corpore collecti, non quidem actu ipso acres & erodentes, quod
ad exulcerationem proximè requiritur, at tamen ad qualitatem
ejusmodi induendam faciles, qui postea, ubi vel à capite catar-
rho,

k Fern. l. 5. m. 10.

l. 2. part. 2. c. 12. prax.

Gal. 4. de loc. aff. c. ult.

m Schenck. l. 2. obs. 51.

n 5. aph. 8. & 15.

o 5. aph. 10.

rhofo, vel utero in fuppreffione menfium *p*, vel hæmorrhoidibus *p* Hipp: l. 1. de
p. n. claufis *q*, vel quacunque alia parte ad pectoralia confluerint, *morb. mulier.*
 inibi que loco calido & humido diutius æquo retineantur, ferment- *q* 6. aph. 12.
 tefcunt tandem, putrefcunt, corrumpuntur, & acrimoniam acqui-
 runt penetrantem, quâ ad tenellam fungofamque pulmonum car-
 nem exedendam tùm exiftunt fatis validi.

17. Quò facit ille *habitus corporis phthificus*, quem Hipp. *r* & *r* in epid.
Gal. f depingunt: Pectus nim. anguftum & reſtrictum, ut à tergo *f* in comm.
 in morem alarum promineant opertæ ſcapulæ, collumque tenue &
 procerum. Vocant hâc conſtitutione deformatos *αἰερωγώδεις καὶ*
φθινώδεις (quæ tamen poſterior vox tam actu phthiſi correptos, *t* Gal. comm. 4.
 quàm ad eam ſolùm propenſos notat *t*.) Et ſanè ſi ad hanc cauſam *aph. 8.*
 ſimul accedat nativa pulmonum imbecillitas, de qua paulò antè, &
 caput debile, quod promptè impletur, & plures indè deſtillationes
 fundit, facillimus in phthiſim metuendus eſt lapſus.

18. Hiſetiam non incommodè adduntur: *Defectus uvulæ* ſeu
 columellæ *u*, unde deſtillationibus, aërique frigidiori & minùs *u* Mercurial. de
 temperato liber ad pulmones datur tranſitus. *Pulmonum cum latere* *M. Ventr. aff.*
coalitus, ſeu ad latus prolapſus, unde, præſertim poſt concitatiorem *l. 2. c. 7.*
 motum, & conſenſionem locorum montolorum, acclivium &
 ſublimium pulmo non ſatis poteſt contrahi, ut id, quod in arteria
 aſpera, vel lævibus *p. n.* continetur, excutiat & expellat. Eorun-
 dem in numero defectus. *Anguſtia bronchiorum. Tubercula cruda, grandi-*
nes x, calculi y, offa z in pulmone genita. *x* Gal. 4. de loc.
aff. c. 8.

19. *Aetas* item *νεανίσκου α*, ſeu quæ eſt ab anno 18 ad 35 *β*, h. e.
 adoleſcentia, quæ incipit ab anno ætatis 18, & extenditur uſque *y* Paul. l. 3. c. 31.
 ad 25; & juvenus, quæ orditur à 25, & terminatur 35. Hiſ ætati- *z* Columb. l. 15.
 bus, inquit ſummus artis noſtræ Dictator *γ*, contingit *phthiſis μόλις α* 3. aph. 29.
 Non quidem ſecundùm ætatis naturam, & *per ſe*, ſed *ex accidenti* tan- *β* 5. aph. 9.
 tùm: nimirum ob errores, quos adoleſcentes & juvenes in cibo, *γ* l. c.
 potu, exercitiis corporis, animique pathematibus frequentiùs com-
 mittunt, quàm ſenes, quos ob vivendi rationem cautiorẽ & mo-
 deratiorem magnam partem minùs ægrotare *idem δ* ſtatuit, quàm *δ* 2. aph. 39.
 juvenes. Eſt quoque in *νεανίσκου* ſanguis copioſus, bilioſus &
 fervidus, qui aut ob nimiam copiam venas diſtendit, easque vel

rumpit, vel saltem orificia earum aperit: aut ob calorem & tenuitatem suam illas aperire & emanare potest. Unde fit, ut postmodum sanguis extravasatus putris & acer redditus, facili negotio hoc introducat malum. Quod aliis ætatibus non adeo metuentum, cum vel sanguis iis sit paucus, calor exiguus & acrimoniæ expers; ut *senili*: vel major sanguinis pars, qui etiam per se mitior, benignior, & ob id minus corrosivus, ad nutritionem & augmentationem à natura adhibeatur, ut *puerili*.

20. *Sexus*. Fœminæ ob complexionem frigidiorē & humidiorē, atque ideò fluxionibus magis expositam, pulmones molliores, & mensium suppressiones ad hunc morbum sunt procliviores. Quamvis Viri eò magis afficiantur: quod tamen non tam eorum temperiei calidæ imputandum, quàm errori potiùs cuidam circa res n. n. commissio, ad quem perpetrandum viri plerumque alacriores sunt & promptiores ipsis fœmellis.

21. *Ex causis externis* quæ immediate pulmones infestare solent, primas tenere videtur *Contagium*, quò mediante ad plures hunc morbum serpere posse testes sunt *Arist.*, qui & inter morbos contagiosos phthisin quoq; numerat; & *Gal.* non tutam satis cum phthisicis conversationem esse monens. Ad sunt & fide dignorum Virorum *historiæ*. *Phil. Salmuth* tres introducit Marchiones Brandenburgicos adolescentes, brevi temporis intervallò phthisi mortuos, unum nim. post alterum. Causam fuisse relatam in præceptorem phthisicum, quocum dies noctesque convixerant, & eadem mensa perpetuò usi fuerant. *Aug. Thonerus* viri cujusdam Ulmensis tres memorat filios, quorum natu minimus annum ætatis 24 excedebat, qui omnes spatiò annuò phthisici è vivis sunt sublatis, cum etiam parentum neuter illi morbo obnoxius esset. Nec ratio aliter suadet. Emittunt enim tabidi, præcipuè qui ad ἀκμὴν morbi redacti jam deploratæ videntur fortis, halitum putridum & cadaverosum, non sanè omnis malignitatis ac venenositatis expertem, in aërem commune aptissimumq; effluviolum vehiculum: Hunc postea aërem *σπορραία καὶ νοστήρι σποκρίσις*, nequissimò seminiò fœdatum propiùs adstans inspirat, & si pulmonibus est mollibus, adque corruptionem paratis, (omne namque recipiens recipit ad modum

6 7. probl. 3.

§ 1. de diff. febr.

6. 2.

7 Obs. med. cent.

3. hist. 64.

8 Obs. med. c. de
phthis.

dum receptivitat^{is} suæ) facili negotiô similem in se inducit labem.

22. Ut ergo non sint audiendi, qui posthabitis hisce & autoritatibus, & experienciis, & rationibus, quenquam hoc perisse contagiô negant. Nimiô verò in metu sunt, qui inexplicabili ratione ad parietes, trabes & universum cubiculum contagium hoc transire docent, & proinde post tabidorum obitum lectulos & suppellectilia comburere, parietesque dealbare, jubent. Sed ne quid nimis! Neque illud ferè satis vero videtur simile, quod apud *Plinium*: de gente quâdam Pharnacâ narratur, cujus sudor solô contactu tabem inducere perhibetur: nisi fortè dixeris, abditâ quâdam & prorsùs indicibili proprietate, toti pulmonum naturæ adversissimâ illud fieri, quemadmodum de lepore marino (qui, eodem *Plin.* & teste, visus etiam venenum est) specificâ ejusmodi, puta tabificâ, venenositate in pulmones agente *Galenus* & affirmat *μ.* Canum quoque & felium *ν* in secando emissum aut aliàs eructatum halitum phthisiferô quôdam venenô infectum esse ajunt. *l. 7. c. 2.*
x l. 32. c. 1.
λ Gal. l. de ther. ad Pison.
μ Senn. l. 6. prax.

23. *Causarum externarum remotar.* nomine veniunt res Non-*ν* naturales medicis dictæ, sinistrè usurpatæ: quæ nim. assumuntur, geruntur, foris nobis adveniunt, excernuntur ac retinentur. Assumimus ex. vel attrahimus perpetuò ipsis pulmonibus inevitabili necessitate Aërem, qui si primarum qualitatum unâ aut pluribus peccet, mediatè ad hujus morbi generationem facere potest. Talis est austrinus & aquilonaris, quorum is materias resolvendo, aut cerebrum nimis humectando & implendo; hic verò constringendo, vasa densando, atque hanc ob causam ad rupturam aptiora reddendo; tussim etiam crebram atque *σμερῶδη* movendo, ut pulmonis vasa inde vel aperiantur, vel rumpantur, phthisim creare valet. *Duas enim has tempestates morbi sequuntur tabifici*, inquit *Galenus* fortiss. medicorum antesignanus *ξ*, tum summè frigidam, quâ vas *ξ* *comm. 3. aph. 16.* aliquod instrumentorum respirationi inservientium rumpatur, tum calidam humiditate adjunctâ, quâ caput repletum ad pulmonem fluxiones ableget. Sic & est autumnalis, qui, ut ob suam, in primis qualitatibus inæqualitatem, adustos prægressâ æstate in corpore humores, viresque debilitas morbifer audit, ita præprimis ad phthisin propensos in-

π Hipp. 3. aph.
10. & 22.

signiter offendit π. Idem efficit omnis tandem *aëris* constitutio à causis cœlestibus & elementaribus in *frigidiorē & humidiorē* mutata.

24. Quod prætereà assumimus *cibus* est & *potus*, quorum quantum, quando & quomodo minùs diligenter observata hîc etiam negotii non parùm facessunt; quum ingluvies & crapula cruditatatum genitrix sit fœcundissima, & ob id non minus verè quàm facietè nutricula medicorum dicta: præsertim tamen *quale*; ut si cibi sint acres, mordaces, falsi, nimis aromatizati, qui humores in corpore acuunt: Frigidi & humidi, crassi, lenti, glutinosi, qui humores sui generis, maximam partem pituitosos, dant: Corrumpi faciles, cujus farinae sunt fructus *ωρεῖται*. Potus aquæ frigida multus: cerevisiæ recentis & turbida; viniq; generosioris, potentis & nondum satis defæcati frequentior usus. Medicamenta nimium vacuantia, nimis fortia & acria; frigida item, & humida aliquandiu continuata.

ε Hipp. l. d. aër.
loc. & agv.
σ 4. aph. 8.

25. Quæ gerimus, & quæ extrinsecus nobis occurrunt, sunt omnis generis motus & exercitia, vel nimia, & à pastu statim instituta, vel planè intermissa, oneris gravioris gestatio, cursus velocior, lucta, saltatio, equitatio, vociferatio intensa, risus effusior, tibiarum & tubarum fortis inflatio, conatus in partu ρ, vomitu σ, excernendis recrementis nimius, tussis validior. Jactus, ictus, percussio, casus, vulnus. Balnea frigida, naturalia & arte parata. Somnus & vigiliæ modum excedentes. Lucubrationes assidue. Tristitia, τ Cic. 4. Tuscul. ægritudo & metus, tabificæ illæ mentis perturbationes τ, alia.

26. Excernenda quæ retinentur, & retinenda quæ ultrà debitum modum excernuntur, hîc quoque non parùm nocent: ut sunt fæces alvi, & quod vomitu ejicitur, urina, sudor, semen, sanguis menstruus & hæmorrhoidalis, aut alias ex consuetudine vacuandus, purgamenta puerperii &c. Quorum omnium excretio & retentio maximè attenditur.

27. DIFFERENTIÆ propriè & in specie dictæ *Tabis* ad varietatem Causarum variant, & possunt earum tot constitui, quot numeratæ sunt causæ, quas omnes hîc à capite repetere, actum est agere, & otiô abuti. Felicioris tamen *Curationis* ergò sequentes recensere, non ab re erit.

28. Ratione *modi generationis* est alia *Congenita*, à primo ortu inhærens, cujus causa, aut dispositio ad illam contrahendam *vel* ex parentibus huic obnoxiiis unà cum semine & sanguine materno hauritur, diciturque *hereditaria*; *vel* saltem ob conformationis aliquod vitium, parentibus minimè morbosis, obtingit, & vocari potest *connata in specie*: Alia *Adventitia*, quæ jam genitos ex vitio corporis proprio & prava diæta infestat. Et hinc *Idiopathetica*, cujus causa in pulmonibus existit, & etiam in illis est genita: *vel Sympathetica*, quæ à tali causa profecta, quam partes aliæ pulmonibus communicarunt. Quædam *per Contagium*, cæcag, v, & ἀρρῆντο ἰδιότητι v Fern. 5. mal. c. 10. *agentia* inducitur: quædam vero *per propriam & manifestam causam*.

29. Ratione *temporis ac durationis*, alia *confirmata*, inveterata, habituata & diuturna est, in qua præter faciem hippocraticam φ Hipp. 1. prognost. *reliquorum symptomatum congeries* plerumq; apparet uberior: alia *recens & incipiens*, in qua mediocris est consumptio, fibrosâ partium substantiâ nondum pessundatâ; reliquaque signa mitiora & minùs terrifica. Ratione *modi invadendi*, *præceps*, cita & quasi acuta, brevi temporis spatîo corpus consumens: *vel lentè*, pedetentim & gradu testudineo *repens*. Unde ratione *magnitudinis*, *intensior & remissior*. Potest tandem etiam dividi ratione *sexus & ætatis*.

30. **SIGNA Diagnostica.** Funestum hoc malum, quùm recens ac in principio solertiſſimam requirat indaginem, ubi curationem tantùm suscipit, non inutile erit *incipientis* aut *brevi futuri notitas suspiciosas* primùm perlustrare. Sumuntur autem illæ ex *dispositione corporis*, qualis est *φθινώδης* illa superiùs descripta, gibbositas, caput debile: ex *ætate*, ut est adolescentum & juvenum: ex *annæ tempore*; idque cum primis respectu aëris, & prægressæ vel præsentis victus rationis: ex *præcedentibus* quibusdam *morbificis*, qualia sunt parentum & consanguineorum obitus ex phthisi, corpus quodammodò emaciatum, quod cibò sumtò non reficitur, tussis frequens & pertinax, eaque sæpè saltem parva, *vulpina* dicta, quâ simul cruenti aliquid sine doloris sensu extunditur, gravitas aliqua pectoris, cum difficiliore anhelitu, destillationes diù perseverantes acres & mordaces, suppurationes in pectore, ulcerosa arteriæ asperæ constitutio &c. Cæteris tamen paribus: ut hinc certius tutiusque

fuerit, notas illas *collectivè* & *per συνσπουλὸν* sumere, quàm *seorsim* & *distributivè*.

31. *Perfecta* autem & *consummata phthoë* ex signis cognoscitur evidentioribus & augmentum cumulatius sumentibus. Ex quibus *pathognomonica* dicta præcipuè petuntur ex functionibus læsis, excretis, & tandem corporis accidentibus seu mutatis qualitatibus. *Primi ordinis* est febris, de qua th. 10. 11. & seqq. actum, quæ augeri assumptō cibō, & ἀνάεσιν quandam facere videtur, donec cibus est distributus: (nim. ob halitus inde exsuscitados. Nam calor, scribit Galen. χ, qui quietus antè delitescerat, excitatur à vaporibus, qui solidis partibus exsiccatis in alimoniam cedunt. Id quod videre licet in calce vivâ, cui si aqua affundatur, vapor multus inde excitatur: aut si quis in balneo ignitis lapidibus aquam affundat, copiosus calor, aquâ in vapores calidos resolutâ, exsurgit. Notanter verò monet Trallianus †, non adesse hîc verum augmentum, sed potius argumentum in profundo latitantis caloris.) sæpeque exacerbata ita per noctem durat, (cujus rei rationem triplicem dat Mercurialis ω: Quia noctu majores sunt colliquationes, majores evaporationes, & propter silentium sensuumq; à curis vacationem cuncta mala noctu solent acerbiora videri, quàm interdiu:) & sentitur calor maximè in genis, aliàs lividis, (partibus ventris supremi, evaporationibus ex inferioribus præcipuè expositi) manuum volis, ac plantis pedum. (quia arteriæ his in locis carne numerosâ sunt destitutæ.)

32. *Tussis assidua* & *ferina* cum sonitu gravi & vibrante, ex penitissimis, & quasi inani quodam cavō productō, qui tamen benè attendenti maximam partem ad interiora potius resonare auditur: Cujus causa partim sunt defluxiones irritantes, partim materia jamdum purulenta & saniosa in ulcere pulmonum genita, quæ & copiâ suâ pulmones gravat, & prætereâ qualitate putidâ, facultatem eorum expultricem ad continuam expectorationem sollicitat, quæ expectoratio ob laceratum viscus (follem perforatum) tali postmodum sonō profertur.

33. *Respiratio difficilis*: Cujus in genere cum tres sint causæ, virium videl. imbecillitas, vehemens in corde pulmoneque calor, & viarum spiritus angustia α; omnes verò hîc in affectu reperiri certum sit, non est dubitandum, anhelitum excitari exinde gravem.

Læsis

Læsis siquidem actionis alicujus organis, quomodo actio ipsa non erit læsa? Ut adeò perperam quis dixerit cum *Mercuriali* β hanc ob β l. 2. c. 7. de rem in *Avicennam* æ quo vehementiùs invecito: *Phthisim propriè non habere anhelitus difficultatem, immò facilem potius.* Hinc & vox Tabidorum est *gracilis* & *exilis*, à quibusdam quasi per arundinem γ red- γ Hipp. l. d. in: dita. *tern. aff.*

34. *Pulsus inæqualiter se habent*: sunt enim modò *duri*, ob calorem corpus exsiccantem, modò *molles*, ob materiam humidam arterias humectantem: nunc *languidi*, nunc *celeres*, pro caloris febrilis mutatione. *Læsitudo*, quam *gracilitatis* vocant, & summa tandem virium imbecillitas, ob nativi caloris paupertatem, boni sanguinis paucitatem, spirituum exiguitatem, & totius corporis maciem. *Sitis vehemens*, propter interiorem ventriculi tunicam, vel ardore febrili inarefactam, vel humore acri imbutam. *Eibi fastidium* ob succos putridos & corruptos, aciditatis tamen expertes, qui orificium ventriculi occupant. Nonnulli jam morti proximi, mente solent errare, id quod accidit spirituum animalium vitiò, quod contrahunt illi ex vaporibus calidis ab inferioribus partibus communicatis.

35. Quoad *Excreta*. Cum plurimæ phthises sordidum & fænosum commonstrent sputum, & quicumque tale quid expuunt, si intra 40 dies non repurgentur, phthisici evadant δ , obtinuit usus, δ s. aph. 15. ut tabidorum exploratio à sputo purulento pendeat ferè, si cætera etiam appareant signa. Et si pituita quædam crassa, ut sæpe fit, puris speciem mentiatur, docent vulgò, à *pure phlegma* discerni, quod *illud* vel per se, vel igni ϵ , carbonibus aut metallo candenti injectum, fætidum odorem reddat, qui in hoc non deprehendatur. ϵ Hipp. 5. aph. 11. & l. 2. de morb. Verùm & pituitam interdum & per se, & prunis impositam, sicut alii quoque humores vel putrefacti, vel putidò locò contenti, vel saltem per illum lati solent, non æquè ac pus foetere, quid est, quod obstat? Alii pituitam albam, pus subcineritium esse perhibent. Verùm quò pus candidius, eò est melius ζ . Quidam pus in aquam tepidam (nonnulli malunt in salsam, aut, si haberi queat, marinam) coniectum, fundum petere ajunt, pituitam non item. ζ id. l. 1. progn. text. ult. At non omne pus hoc præstat: Et pituitam lentam, viscidam & conglobatam æquè subsidere certò certius est. Invenisse tandem putant.

1. d. sign. &
caus. diuturn.
morb. c. 8.

putant, quod pueri non in faba, qui materiam in aquam exputam, si ab expuitione statim spargatur, & postea in fundum concedat, certò pus esse pronunciant: quæ verò vel omninò non, vel conglomerata descendat, phlegma clamitant. Sed & illis vix erit, quò impunè ab Aretæo evadant, dum n dicit, nec ἀλόγως: Qui igne aut aquâ humiditates hîc explorat ac notat, videtur haud ita multum phthoën dignoscere.

36. Omnium certissimum tutissimumque videtur, quod in excreatione hîc, quæ sive cruenta semper, sive purulenta contingat, notandum attentius: Cum nim. putres & fœditum odorem (putredinis sobolem) spirantes pulmonum portiones, ac bronchiorum & vasorum ramenta, aut crustulæ, quas Græci ἐφελκίδας vocant, tussi, eaque gravi & ab imò prodeunte pectore simul rejiciuntur. Tum enim pulmonem, tam facilè in frusta solubilem, vel totaliter, vel partialiter esse putrefactum, neminem dubitare existimo. Et hac de causâ anima quoque tabidis graviter olet.

8 Zac. d. phthif.
de cognosc. &
curand. aff. l. c.
3. probl. 31.

37. Sudores per somnum copiosissimi erumpunt, ex imbecillitate facultatis naturalis, quæ & naturales & excrementitios humores retinere amplius nequit. Hemorrhagiæ narium frequentiores, ab humorum acrimoniâ & caliditate, vasorumque debilitate. Urina interdum conspicitur, præsertim ab initio morbi, punctulis oleosis conspersa, quales ferè sunt, quæ in summo refrigerati jusculi concreverunt θ: idque ob συντηξιν. Solent & phthisici, inquit, Mercurial. 1, nocturnis pollutionibus frequentissimè tentari: quoniam, addit ex Arist. 2, in iis fiunt colliquationes acres, quæ ad vasa spermatica pertingentes excretricem facultatem irritant. Alvi profluvio tandem corripuntur, propter concoctricis & retentricis ventriculi & intestinorum imbecillitatem, nec non humorum etiam corruptionem: ob quam & pediculorum copiâ infestantur.

38. Quod mutatas corporis qualitates attinet, defluunt capilli, ob pabuli defectum & cutis siccitatem, perinde ac plantæ in terra arida & exsiccata, aut aliàs convenienti negatò nutritu, marcescere, & arboribus folia decidere solent: Forfan & ob humorum corruptionem, pilorum radices corrodentem. Pedes intumescunt propter caloris langvorem, concoctionis imperfectionem, crudorum humorum, & serosi aquosique liquoris generationem. Ungues incur-

vantur,

vantur, absuntâ carne, quæ in summitate digitorum eos firmabat & sustentabat : unde scribit Galenus, Hippocratem appellasse phthisin morbum ferinum, eò quòd phthisicorum ungues perinde curventur atq; ferarum.

39. In facie visuntur nares acutæ, labra liventia, tempora collapsa, oculi cavi, ac si in foveis essent reconditi, palpebræ aridæ, ut vix attolli, queant, aures frigidæ & contractæ, imisque partibus, ubi lobi sunt, leniter versæ, color lividus & plumbeus. In collo, thorace, abdomine, manibus & pedibus (nisi fortè hi in tumorem attollantur) macies, extenuatio & exsiccatio summa. Cutis in toto corpore lurida, arida, venæque illius, quæ antea latebant, conspicuæ, totoque ductu lividæ : ut miserandâ hâc affectus homo formâ quasi vivum videatur skeleton, ossa & pellis totus. Et id propterea, quoniam calor natus penè extinctus, carnes, pinguedo, humiditas & spiritus maxima ex parte evanuerunt, atque adeò loca & spatia multa relicta sunt inania. Hec ergo recensita quòd plura & graviora sese nobis conspicienda præbent, eò auctius & periculosius significant malum; quòd pauciora & mitiora, eò levius ac minùs confirmatum.

40. Quæ præterea signa distinctiva & differentiarum hîc observanda veniunt, causæ palam facient, quas partim ab ipso ægrotante cognosces, qui omninò de salute sua sollicitus, unde hoc malum ipsum invaserit, diligenter ruminabit, & anxie tibi proponet; partim etiam propriâ mentis indagine allequeris: Nùm videlicet morbus ipsi sit hæreditarius, aut aliò modò natus, nùm aliquis præcesserit affectus hunc facile generans, nùm destillationibus sit obnoxius, nùm ratione ætatis, sexus, structuræ thoracis & similitum, ad hoc malum sit proclivis, nùm febris adsit, & cujus typi, quomodò ventriculus, hepar, lien sese habeant &c. An percussus patiens, ictus aut lapsus fuerit, an intemperanter vixerit, vel aërem habuerit minùs clementem, vel ab exercitiis aut laboribus quibuscunque hoc mali sibi contraxerit, vel fortè vacuatio quædam solennis suppressa, curæ, mœstitia, & id genus alia præcesserint.

41. Dolor fermè nullus aut obtusus hoc ulcus consequitur, ob substantiam pulmonum ex nervorum defectu ἀναίσθητον : quò ab ulceratâ trachæâ, plevrâ &c. differt. Quâ vero parte, dextrâ an sinistrâ sit affectus pulmo, querelas patefacturas quidam autumant,

mant. Sed, ut dictum, nulla quandoque adest dolentia. Arbitrantur alii, percipi illud in latere, in quo non decumbitur, eò quòd viscus affectum veluti suspensum maneat, sicque aliqualem inducat gravitatem. Sed verum hoc ducò in visceribus tumore affectis, qui hìc longissimè abest. Cingunt alii pectus circumcircà filò aquà sanguinis dracon. madefactò, & quâ parte citiùs siccat, ibi minera est.

42. PROGNOSTICA. Grave & periculosum esse malum *phthisin*, & ubi altiores egerit radices, *curationem difficillimè* admittere, præter medicorum celeberr. auctoritates, ipsissimamque experientiam, rationes testantur firmissimæ. Ulcus enim pulmonum fons & causa hujus mali præcipua, quò minus curam suscipiat, impedimento est motus eorundem continuus. Cui prætereà accedit depravatus ille & vehemens motus, videlicet *tussis* creberrima, citra quam excrementa in molli & spongiosa illa carne hærentia, expurgari nequeunt, quin simul indies magis magisque lædantur pulmones. Medicamenta insuper per oesophagum assumpta tantò intervallò ægrè ad locum affectum usque penetrant, & quod illorum eò pertingit, modicum est, nec tanto tamque gravi affectui viribus par. Exiguumq; illud, quod per asperam arteriam ad pulmones descendit, longè non sufficit. Omitto loci conditionem, qui & per se humidus, & humori desuper præcipitando perpetuò subjectus, consolidationi multum officit. Reddit quoque febris adjuncta & hanc sequens corporis consumptio curationem difficilem: Febris enim & macies humectantia requirunt, quæ ulceri nocent; contrà ulcus detergentia & siccantia postulat, quæ febrì & corporis consumptioni non conveniunt. Unum quod jubet, alterum dissuadet. Omnia concordare ad interitum, discordare ad salutem videntur.

43. Non tamen statim sanandi omnimoda clametur impossibilitas, ubi *phthisis* est incipiens, ita ut ulcus leve & superficiale adhuc existat; non hæreditaria, sine connato thoracis aut pulmonum vitio tabifico. Tùm enim, siquidem maturè cognoscatur, quod palmarium est, & à perito solerteque medico celerimè ei occurratur, antequàm contingat inflammatio effatu digna, curationem etiam non-palliativam suscipit: patiente tamen etiam morigerò, & τοῖς ἐξωθεν ritè comparatis; vel saltem plerisque ex sena-

senario signorum hippocraticorum μ numero faventibus. Nam μ 2. prorrh. & Galenus tabidos ad Tabias mittit ν , & lacis præscribit. Et Celsus ν 5. m. m. c. 12. atque Aretæus longas navigationes hinc præcipiunt. Et passim annotata curatorum phthisicorum exempla reperiuntur ξ . Quin ξ Mes. c. d. etiam veræ phthiseos curam ab Hippocrate & plurimis præstantissimis phthis. Schenck. Medicis præscriptam habemus: scilicet ut vel prævideamus ventu- l. 2. obs. 144. 145. ram, & caveamus in tempore; vel, si jamdum ultra artis humanæ 146. potestatem progressa sit, imploranti ægro, ut vel diutius superfit, vel sine majore molestia vitam transigat, opem ferre sciamus. Ut taceam in deploratis ejusmodi morbis sæpè melius esse, anceps experiri remedium, quàm nullum, & dubiam spem semper certâ desperatione esse potiore θ , quum nonnunquam in medicina monstra fiant π , & morbi curentur, qui habebantur pro $\alpha\nu\nu\acute{\alpha}\sigma\iota\varsigma$. θ Cels. π A. Verrh.

44. Protrahitur præterea phthisis sæpè in multos annos. Nam reperimus ρ , phthisicam quandam circa furnum & ignem ρ Matth. de quotidie occupatam plus 28; & σ aliam circiter 2; vixisse annos. Et Grad. in 9. Rhas. si servetur bona victus ratio, legitima pharmacia, pulmoque unâ c. 54. parte tantum sit læsus, alterâ existente adhuc salvâ; & homo aliàs σ Avicenn. l. 3. sanus, & satis adhuc sit validus, fieri potest, ut diuturnam traducat fen. 10. tract. 5. vitam. c. 18.

45. Periculosissima phthoë, & in propinquo mors est, quando putridæ pulmonum portiuncule expuuntur τ , capilli defluunt τ Gal. 4. d. loc. ν , diarrhœa supervenit ϕ , & tandem sputum retinetur χ . Eousq; aff. enim, inquit Galen. ν Hipp. 5. aph. vivunt extenuati, donec extuscare, & per ea, quæ expu- 11. ξ 12. puitionem promovent, pulmonem expurgare possunt. Expuitionem au- θ id. 5. aph. 12. tem promovent thoracis muscoli, qui illum contrahunt & expui- ξ 14. tionem juvant. Quando verò ad extremum usque sunt exte- χ 7. aph. 16. nuati, officium rectè facere nequeunt: ideoq; purulenta materia, \downarrow comm. in c- und. aph. quæ in ulcere collecta, ut & alia excrementa in pulmone genita intus manent, & hinc spiritus viæ obstruuntur, sicque tabidi per modum suffocationis intereunt.

46. Sed ne verba tantum ægrotis dare videamur, dextram quoque salutiferam porrigamus, & quâ ratione CURATIO aggredienda sit, brevibus exponamus, inchoantes ab INDICATIONIBUS. Hæ autem tendunt ad phthisin vel imminemtem vel præsen-

rem. Si instet brevi futura, & in fieri adhuc versetur, ulcere vel nullò, vel levissimò, & in superficie saltem existente, propter acrem, quæ nuper influxit, & adhuc jugiter influentem materiam, ne penitus ingruat malum & latius serpat devastetque, *præservatione* opus erit. Ideoque destillationes, hæmoptyses, empyemata, peripnevmonia, suppressæ vacuationes, & ejusmodi prævia, non nisi phthisin crepantia, *remotionem* sui indicant. Sin verò *præsens*, in facto & palam omnibus existat, dispiciendum, utrum *incipiens* sit, *crescens*, aut *confirmata* ac *desperata*. Quoad *primum* & *secundum gradum* per indicationes *curatorias*, ne ulterius crescendo morbus interficiat, adnendum est omni opere. Quocirca pro graduum discrimine modò leviora, modò validiora, crebrius, rarius remedia esse adhibenda indicatur. Quoad *summum*: etiamsi omnis spes salutis jam simul contabuerit, haud tamen deserendus est tabidus, sed eidem, si non ad evitandam, tantum ad remorandam, uti dictum, aut facilitandam mortem medica supponenda manus.

47. Et cum *Connexus* sit affectus, ingeniosè & cautè indicationes adornasse & temperasse expedit, utputa à *tribus* sumendas: nim. *ulcere*, quod causarum & impedimentorum facta prius remotione, sui absterfionem, carnis regenerationem, tandemque consolidationem indicat; *Febre*, quæ refrigerantia & humectantia requirit; *Macie*, cui restauratio per anatreptica & analeptica debetur. Ut ergò, cum trifaucis instat *Cerberi* triplicatus hic affectus unò ictu minimè obtruncari posse constet, prudentissimè procedantur *hòc modò*, ut ab initio curationis, phthisi nondum confirmatâ, in remediorum usu, ulcere partes tres, febre duas, & extenuationi unam concedamus. Si verò habituata jam sit, inversò ordine, refectioni & instaurationi triplò, refrigerationi & humectationi duplò magis, quàm ulceris curationi incumbendum. Dòctiss. Sennertus *ω* *hòc in casu* docet, humectantibus solum, refrigerantibus & nutriendis corpus esse reficiendum: Aut etiam medicamenta, quæ ulcere conveniunt, & corpori extenuato prosunt, ita miscenda & temperanda, ut unâ parte ulcus purgent, abstergant & siccent, alterâ verò corpus reficiant. Viriumq; inter eâ, & illius, quod adhuc s. n. in ægro superat, oblivio ne subeat, sed conservando, quantum potest, solatium iis afferatur.

*ω de ulc. pulm.
& phthis.*

48. Ardua sanè Cura: quam vel solæ indicationes contrariæ, si nihil prætereà ampliùs obstaret, ita reddere sufficientissimæ sunt; & proin generali aliquâ delineatione dignè eam pertractare, negotium non parvilaboris. Nec minoris erit, ad determinatum aliquod Individuum transferre: Quod in præsentit tentare, utcunque facultas sit, voluntas tamen est.

49. CASUS. *Adolescens quidam annos natus unum & viginti circiter; colore ex rubello pallente, habitu corporis gracili, solidô & siccô, venis amplis, capillitiô aquilô, condensô & leviter in se inflexô; ad animi pathemata deponenda faciliior ferè, quàm ea capeffenda; matre editus tabidâ; natione Pomeranus, cùm à suis ad alia ejusdem regionis loca studiorum causâ mitteretur, cibis, ut antè solitus erat, utebatur, quos natura inibi fert, durioribus, valdè salitis; ex carnibus, frequentius ovillâ, suillâ, bubulâ, infumatis & elixis magis, quàm assis; frequentissimè piscibus. Potûs locô cerevisia erat, aliquotiès nimium pota. Motus & corporis exercitia satis moderata, nisi quòd cantum interdum exerceret nimium. Alvus laxa. Catarrhi tamèn, & hinc orta tussis, plus justo sæpè infestantes.*

50. Sic degens incidit fortè, occasione datâ nescio quâ, in sodales quosdam aliquantùm dissolutiores; & iis obtemperans, in vitam naturæ minùs congruentem: ex hac, ut fit, in morbum. Ubi quæ diù micuerat scintillula, prorsus in flammam erumpebat. Corripiebatur primùm inflammatione gurgulionis: & hâc liberatus, diarrhœâ; ex qua tanta virium jactura, ut se vix extra lectum continere ampliùs posset. Querebatur inquietudines & sudores nocturnos, prægresso priùs, sub occasum solis præcipuè, caloris molesti, non sine levi horrore, incremento aliquo, ut ipse non nisi febrire se vellet. (Nam de phthisi, angue in herba latente, nunquam, ne per somnum quidem cogitabat.) Et rectè quidèm sentiebat: id quod & pulsus ab initio parvus, systole velociore, quàm diastole, & urina obscurè saltèm cocta præ se ferebant. Verùm non tantùm & primariâ tentabatur febre, sed symptomaticâ saltèm, & secundariâ, dependente sc. ab ulceroso pulmone. Cumula-

tiùs ad fauces dejiciebat cerebrum humores, undè tussis magna & crebra, cum rejectione pituitosæ materiæ.

51. Hæc contingebant omnia ineunte jam vere. Medicos in auxilium vocandos locus non suppeditabat; aliundè accersendos ægri facultates non ferebant. Adhibebantur tamen ab amicis, ut poterant, evporista: ab hoc illud, ab alio aliud, priori fortè maximè contrarium, adversus febrim, tussim, & nescio quæ plura. Fueratque nunquàm patiens deterioris & magis deplorandæ conditionis, quàm nunc, ubi cæcorum andabatarum infestis expositus ictibus, quemlibet fortunæ suæ periculum temerè & absque judicio facturum, cum summo periculo in se experiri cogebatur. Perseverabat malum, mense jam secundò præteritò, & intereà adhuc majus ac majus sumserat incrementum, nil quicquam moratum medicastro sillos varios. Neque amplius pituitosa, sed purulenta rejiciebat æger, eaque flavescentia, incocta & cruda, multò sæpè sanguine permista, tussi admodum difficili, urgente febre, molestante siti, totique corpori inductâ atrophîâ. Non decubuerat hætenus jugiter: sed nunc prostratæ totius corporis vires ad cubatum continuum sollicitabant, & infirmissimum ad lectum traherant. Quartus finiebatur mensis, & superiùs recensitorum signorum pleraque apparebant horrenda & terroris plenissima, ut omnium judiciò prorsus nihil abesset, quin simul cum pulmone, quem frustillatim rejiciebat, tandem & animam esset exputurus.

52. Si itaque de hujus *Adolescentis Cura* quis sollicitatus esset, quid consilii, quid auxilii? cum temperamenti videatur esse inclinantis ad cholericum, morbus sit hæreditarius, caput naturâ debile, vivendi genus præcesserit præposterum: Autumo ego, aggrediendam esse *therapian* secundum *indicationes* th. 46. & 47. præscriptas, veluti *statuas mercuriales*, ad quarum scopum feliciter attingendum *tres ingeniosa Medicina auxiliorum* salutares aperit *fontes*: *Dieteticum, Chirurgicum, Pharmaceuticum*. Si quæ laude digni quid effici hic debeat, *præservatio* maturrimè, cum *futuram* phthisin jam primum minantur signa (id quod duobus annis ante decubitum contigit) attentenda est, & omninò ita gubernandus homo, ut, præter convenientissimum quòvis tempore rerum *n. n.* usum, & *mandantis*
& *reci-*

& recipientis partis per auxilia in hunc scopum necessaria, diligentissima adhibeatur ratio.

53. Hinc fruatur *Adolescens* vegetior adhuc *Aëre* semper temperatō & aliquantum ad siccum vergente, qualis *Tabiarum* esse dicitur, ob *Vesuvij* montis perpetuò flammam eructantis vicinitatem: qualem loca piceis consita arboribus veris & æstatis tempore subministrant: qualemque sub zona temperata mare salsetine sua reddit. Qui si denegetur à natura, arte paretur, accensis lignis resinosis & piceis, stratis hinc inde in pavimento & cubiculo herbis siccioribus & odoratis, aut suffitu ex *mastich. thur. myrrh. storac. benz. ladan. cinam. santal. ros. &c. trochisc. & candel. odorat.* in officin. prostantibus factō. Exeat autem tantisper patiens conclavi, donec fumus densior diffusus ad æqualem redierit temperiem, ne tussis excitetur. Elegantissimè hinc adhibetur instrumentum, quod opusculum D. Christ. Benedicti *Theatrum Tabidorum* insignitum, depictum monstrat; concavum, & conforme, effumationibus (uti vocat) sive vaporationibus siccis per modum suctionis in pulmones imbibendis accommodatissimum: ut & effumationes quædam ipsæ inibi descriptæ. Neque adeò incongruum est, hausisse hætenus fumum *nicotiane* seu *tabaci* per tubulum, ut mos est, fictilem, & deinceps ita continuare: modò fiat moderantiùs, & cæteris pariter non neglectis.

54. *Cibus* sit *εὐχρηστὸν, εὐπεπτὸν καὶ πολυβότον*: *Brodia pipinum, pullastrorum, gallinarum, caponum &c.* ex quibus & sorbitiones & pulmenta fiant admistis *pisanâ, alicâ, amygdâ, avenâ.* Pulticulæ ex *lacte, vitellis ovor., butyro insulsò, saccharò & farinâ oryza:* ex pomis, iisque dulcibus cum aromatico sapore & odore, cujus generis ibi locorum sunt *borstorfiana: prunis damasc. &c.* Carnes dictorum animalium, ut & *perdicum, phasianor., attagenar., ortygometrar., turtur., turdor., meleagrid., agnor., hædulor., vervec., vitulor:* quæ condiri possunt succo *limon., citrior., aurantior., granator. acid:* itemq; *amygdalis dulc., pini nucl. aut pistaciis, uvis pass. &c.* *Suilla* affla a: minimè *cochlearum & cancrorum*, nisi fortè juscula ex iis cocta, quæ tamen etiam additorum potius virtute, quàm propriâ pollere videntur. *Olera:* ut *lactuc., portul., endiv., cich., bet., spinach., acetos., atripl., blit.* cum butyro insulso

a Hipp. Galen.
Zac. l. 2. prax.
hist. c. 10. Z.

sulsō concinnata. Pisces: lucioli, salmarin., fundul., perc., trutt., rhymall.
Cæteros piscosissimæ relinquat Marchia.

55. *Potus sit decoctum ex hordeo, aut simplex, additō saltem saccharo, vel sacch. ros., vel sir. ros. s., vel sir. de farf., symph. &c. aut compositum cum passul., liquir., helen., caric., filiqu., jujub., viol., sacch. &c. Item hydromel, mulsa. Nec omninō interdicatur adolescens vino, modō illud sit ὀλιγοπόρον, aut aq. coctā temperatum, temperanterque & parcè sumtum. Cerevisia, cui ab incunabulis assuetus, commodiorem præbet potum, præsertim ex hordeo & tritico mixtis probè parata, & jam defæcator: Adhuc commodiorem illupulata D. Benedicti β. Acidula exulent. Vitetur summō studiō crapula & ebrietas, ne audiat aliquandō phthisis miserabile heluonum flagellum, sicuti L. G. scortatorum.*

β Theatr. Ta-
bid: p. m. 166.

γ Galen. l. 7.
meth. c. 6.

δ Hipp. Mes.
Rhas. Cardan.
apud Zac. Med.
Princ. hist. l. 2.
dub. 25. & prax.
medic. admir.
l. 1. ob. 131.

56. *Lactis usus ab omnibus ferè hîc magni habetur, quod res sit cibalis & facilis assumptionis, velocis digestionis & in sanguinem conversionis, citæ penetrationis, laudabilis nutritionis, humorum acrium contemperativum haud fallax; parte sui serosâ ulcera abstergens, caseosâ consolidans, butyraceâ corpus humectans, & exsiccationi resistens. In primis commendatur humanum γ, tanquàm naturæ nostræ familiarissimum: post hoc asininum, caprinum, ovillum, bubulum, prout vel nutriendi, vel detergendi, vel refrigerandi necessitas magis urget. Verùm cautione opus est, & omni studio curandum, ut ab animalibus sanis, & si haberi queant, nigris δ, herbis convenientibus aliquandiū nutritis recentissimè mulctum sumatur, vacuo ventriculo, ventre mundato, reliquoq; corpore existente puro, & ab obstructione vasorum, febre aut dolore capitis immunis. Magis conducet, si ebullienti admisceatur mellis vel sacchari aliquid: aut potius h. m. præparetur, ut lactis lb̄ iiij add. aq. font. pur. lb̄ j, & sacch. alb. unc. ss. Coq. lento igne ad aq. consumptionem: & ita vel pani albo trito affusum comedatur, vel per se potetur. Sumtō non dormiat statim æger, nec vinum cibumque capiat, nec moveatur laboriosius, incipiatque à dosi minori, augendâ cum tempore.*

57. *Circa enumeratorum alimentorum usum notetur hoc in genere, ut ea in forma, quantum potest, liquidiore, idoneè & bellè*

& bellè concinnata, partitis cum judicio vicibus, justò tempore & ordine, in cœna parcius quàm prandio exhibeantur & sumantur.

58. *Motus, & exercitia corporis* partum antecedant eaq; talia, ut pectoralibus non damni quid afferant: *Quies* sequatur, & illa prudenter moderata. *Vigilia* non sint nimia: nec *somnus* nimis longus, qui capiatur noctu, capite parum saltem elevato. *Animi pathemata* fugiantur. Quæ quotidie excerni debent, nisi naturæ legi, ut eunt, portò responderint, remediis sunt promovenda. *Venus* phthisicorum pestis. *Vena sectionem*, quantam vires sine molestiâ ferunt, bis in anno celebrare, incredibiliter huic conducit. Statioque & ita jubente tempore *καθαρνὴ* adhibere, nihil est quod dissuadeat: verum blanda, benedicta & lenia, & quæ per inferiora educunt, nunquam quæ per superiora, præparatis prius humoribus per alterantia commoda. Et cum primis, quantum possibile, præcavendum, ne tam diù vitiosorum humorum illuvies in corpore detineatur, donec imminens malum effectum dare queat. Præsentissima hîc loci & mitè efficax medicina est, si patientis accedat voluntas, *setaceum* ad nucham applicatum, aut, refragante illò, *fonticulus* in alterutro brachio excitatus. Quam in rem alias etiam conducunt *vesicatoria* & *sinapismi*. *Expectorantia* & alia thoraci salubria subindè adornanda. *Caput* peculiariter confortandum. 4. aph. 8.

59. Sic blandè tractatis capite & pectore, accidentibus correctis, humoribus præparatis & purgatis, præpeditis aut aliorsum derivatis, præscriptaque diætâ diligenter servatâ, nulli dubium, quin adhuc diù citra molestiam præservetur Adolescens. Verum hæc maxumam partem hætenus sunt intermissa, & eorum locò potius vacillantem naturam prorsus prosternentia commissa. Proindè præsentis tantum phthisis, ejusque satis periculosa, suscipienda jam est cura, à palliativa non multum differens.

60. Postquam itaque diarrhœa est cohibita, partis mittentis, *Capitis* assiduos destillationum imbres fundentis, summoperè habeatur ratio. Et quidem primò perennis fluxionis materia tenuis, calida & acris imminuenda esset *leni pharmacò*, aut *detractò* parcé & per intervalla *sanguine*, nî statim initiò adeò præcipitanter vires fractæ concidissent: quod tamen minimè oblivioni datum, post
D diem

diem tertium administretur. Interea autem adhibeantur, quæ humoris fervorem ac acrimoniam mitigent & attemperent, ut sunt *sir. de ros. sicc., de succo acetos., viol., de nymph., de papav. &c. cum aquis & decoctis refrigerantibus ac modicè adstringentibus*: Injiciaturque clyster frigidis temperatus. Vacuatō corpore universō, caput privatim purgetur per *errhina*, missis *masticatoriis*, *gargarismis* & *apophlegmatis*, cū fluxus sit calidus, & ad interiora tendat: Diversionesque fiant per *lotiones extremorum*, *frictiones*, *ligaturas*, *cucurbitulas sine scarificatione*. In brachio sinistro *fontanella* aperiatur inter musculum deltoideum, & alium, qui cubitum flectit, bicipitem dictum.

61. Si restent adhuc reliquæ materiæ fluxilis, quæ ad peccus ruendo tussim moveat, exhibenda sub ingressum lecti adstringentia & incrassantia, quæ materiam quodammodo sistant, per vigilias postmodum mediantibus expectorantibus commodis rejiciendam. Quibus scopis inserviunt adhibenda formæ præcipue *sirupor., loch seu eclegmatum, pilular., trochiscor. seu rotular. in ore detinendarum*. Procurentur etiam quæ exsiccando humores absument, simulque caput roborent; intro assumenda sub varia specie: extra adhibenda formæ *embrochar., pileolor. seu cucuphar., pulver. capillis inspergendor., suffituum & odoramentor., cerotor. & emplastror. bregmati applicandor. &c.* Quorum omnium materiam *Practicorum* libri totis admetiuntur modiis.

62. Nunc de *Ulceris Curatione* dispiciendum, à qua reliqua tota, febris puta, & corporis extenuati instauratio dependet. Et quamvis consolidatio ulceris, Naturæ opus sit: tamen Medicum removere oportet impedimenta, quæ naturam in opere suo remorari possunt. Itaque jamdum remotis hisce, sine mora promoveatur pes ad ea, quæ primum ulceris *deterfioni* inserviunt, & quod detersum est, tussi & sputō leniter educere valent: Cujus gen. sunt *aq. mulf. saccharat: tussilag., marrub., capill. ♀, scabios., hyssop., agrim: radic. irid., helen., aristol: terebinth. &c., atque ex his parata medicamenta*. Dein, quæ *glutinationi*: ubi facile primas obtinent *ros., bol. arm., terr. sigill., sulphuris flor. balsam. & lac ejusd.* Quibus succedunt *lap. hæm., sangu. drac., symphyt., consolid., pulmonar., plantag. sanicul., fl. hyper., ros sol., veron., hed. terr., tormentill., bistort., pilosell. &c.* Ex quibus varia parantur & offi-

& officinalia, & magistralia : quibus non incommode *pulmo vulpis* præparat., & alia peculiariter pulmoni dicata, admista simul ægrotantibus offeruntur.

63. Miris modis hic extollunt *Avicenn. Senn. Zacut. & alii conservam ros.* nec sine re. Modicè enim refrigerat, abstergit, glutinat & simul nutrit, hocque modò & ulcери & febrī & extenuationi bellè succurrit : poteritque adhuc ei, monente *Senn. terr. sig. bol. arm. sir. vel pulv. symph. maj.* immisceri. Sed tamen & certis cum conditionibus vult adhiberi. Insignem quoque Tabidorum ulcera curandi vim habent *aquæ compos. destill. ex pulmone & hepate vituli* apud *Senn.* & *Decocta lign. guajac. & radic. Chin.* humectantibus correctæ. *de phthis. in pract. medicin.* *Mercat. sir. contr. phthis. & aliæ alior. Autorum compositiones.* Adhibere autem *mithridat., theriac., aut trochisc. de viper.,* ut vi ulcერი calulus inducatur, febris non patitur. Quibusdam pro secreto est *rad. dipsac. ex melle trita :* Aliis *ciconia assata.* *Paracelso mus sylvestris, cinis cancror. fluvialium.* Curatio magnetica valeat. Locum hic quoque habent *suffumigia, effumationes & odoramina* superius recitata. *Inunctiones & cataplasmata,* si thoraci addere lubet, tempestiva sint & convenientia i.e. *κολλητικὰ* jam & *επελωτικὰ.*

64. Interea tamen & ad *Febrem & Maciem* diligenter semper respiciendum, ut omnia refrigerantibus, humectantibus & instaurantibus ita temperentur, ne pulmonibus suppetias ferendo, reliquo officiamus corpori, ut in *indicationibus* monitum.

65. Quod si verò tandem hisce omnibus motis parùm tamen, ut facile erat conjectu, promoveatur, sed malum potius ingravescat indies, ad *polychrestæ,* quæ omnibus scopis, & præ cæteris extenuationi satisfaciant, confugiendum : Cujusmodi sunt *Aq. anti-phthis.* *Minlicht., Aq. mirabil. Zac. pulv. Haly. Abb. Elect. Petri à Cast. jura instaurantia* seu consummata dicta, *emulsiones, panes martii* seu diamygdalata, *lac,* convenienter parata & exhibita, & si quæ sint alia medicamentorum alimentosorum & alimentorum medicamentosorum genera.

66. Sic cum Deo absoluta & ad finem perducta est Curatio, quæ medici finis medius est, seu *ἔσ,* quò ad superiorem tendens, eorum

rum quæ in *Natura* & *Artis* potestate sunt, ad sanandum nihil omit-
tit, ac pro in officio suo satisfecisse dicendus : Quanquàm nondum
recuperata *Sanitas*, finis ultimus, primum movens καὶ δὲ ὁ : Cum ὁ γιέας ποίειν
η *Hipp. l. prenot.* ἀπαντας τὸς ἀδυνάτους ἀδύνατον η : Et θ non in Medico semper, rele-
θ *Ovid. l. 1. eleg.* vetur ut ager : Interdum doctâ plus valet arte
4. *de Pont.* malum.

Tantum.

